

metropolin obsedit, David autem interim desidens Hierosoly-
mis II. Sam. XI. 1. I. Chron. 20. 1. Bathschebam adulterio pol-
luit. Post natum filium in adulterio conceptum David peccati
sui convictus resipuit, postea vero Bathscheba Davidiam ma-
rito suo alios atque alios interque eos Salomonem filium pe-
perit: cui DEus ut pacifico futuro *Salomonis* nomen imposuit
I. Chron. XXII. 9. Ex quibus omnino constat, Salomonem
natum atque excitatum fuisse longe ante Davidis fata, quippe
quem David in vivis existens & natum vidit, & diu post in Re-
gem ungi iussit, I. Reg. I. eumque ad timendum DEum cohor-
tatus est. Tandem David Salomonem præceptis instruens
moritur I. Reg. II. v. 1, 10. Atque ita veritate expeditissi-
mè clarâ & natus est vivo Patre, & sedit in solio Davidis non
tantum post ipsum, sed & ante faciem ipsius & loco ipsius Sa-
lomon, ut videri licet I. Reg. I. 30. seq. Nec possunt hîc com-
mode misceri & Salomon, & Christus velut Semen per Salomo-
nem olim e visceribus Davidis proditurum, quandoquidem
Christus ne ortus quidem est ex Salomone, sed ex Salomonis
fratre Nathane Luc III.

Docet porro Contextus, hoc loco non agi de Salomone, sed tan-
tum de Christo (β) per phrasin absolutam v. 12. והכינתי את-
ממלכתו *Et stabiliam regnum ejus.* Quæ ita absolute posita
phrasis non quadrat in Salomonem, & cum de Salomone ser-
mo est, vel ad certos ejus dies illud dirigitur, vel sub conditione
promittitur: uti illud I. Chron. XXIX. 23 25. hoc vero I. Chr.
XVIII 7. clarè patet. Cum vero nostro hoc loco absque ulla
conditione promittatur confirmatio regni Seminis, è mortui
Davidis visceribus suscitandi, facili negotio intelligitur, eum
hîc significari, ad quem conditio probitatis perseverantis non
attinebat, qui solus est Christus Hebr. 7. 26. Accedit eventus,
qui docet, Salomonis regnum non esse ita simpliciter confir-
matum, sed ex conditione ab ipsius Patre I. Chr. XXII. 13. ipsi
proposita, at deinceps à Salomone prætermissa non parum nu-
tasse